Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1369
Quelle:
Copyright:

Idem *Georg. Cedrenus* ad quartum *Zenonis* annum, et *Alexander* Monachus *Cyprius* non diu post inventum corpus in Laudatione *Barnabae* apud *Bollandistas* ad 11. *Junii* p. 450. Ευαγγελιον ἰδιοχειρον, ὁ ἐξελαβον ἀπο Ματθαιυ &c. adpellans. Inventionis hujus fama ansam praebere potuit Impostori cuidam confingendi *Evangelium* autore, non exscriptore *Barnaba*, et re ipsa tale inter *Apocrypha* relegatum videmus in *Decreto* Concilii *Rom.* sub *Gelasio* a. Chr. 496. in *Concc. Harduini T. II. col.* 941. et memoratum apud *Cotelerium PP. Apostolicor. Vol.* I. p. 196. in Indiculo Scripturar. e *Cod.* Regio *Paris.* depromto, cui similis etiam in *Bodlejana* inter *Codd. Barocc. n.* 206. extat. An etiamnum *Pseudoevangelium* istud superfit graece aut latine, dicere non habeo; *Mohammedanis* certe in Oriente innotescere potuit. At praecipui illorum Scriptores excitati a *Marraccio* in *Refut. Alcorani* a p. 15. quatuor solum Evangelia nostra enumerant, solus *Abmedus Ebnedrisus* quinti *de Infantia Christi*, ut spurii meminit. Necesse est igitur, ut *Evangelium* nostrum *Barbaroitalum* recentius Abortivum sit *nebulonis alicujus Apuli vel Calabri semi Mahumedani et semi Christiani e reliquiis eorum, quos constat tempore Friderici II. Imp. magno numero has regiones coluisse* &c. ut visum *Lacrozio* in lit. ad *J. Alb. Fabricium*, *Cod. Apocr. N. T.* P. III. p. 374. aut, ut mihi videtur, effusum ante *Mauriscorum* expulsionem in *Hispania*, vel in *Africae* litoribus. Movent me verba *Hadr. Relandi de Relig. Mohammed.* L. I. *Traject.* 1727. p. 23. in not. *Et Evangelium aliquod apud ipsos est, quod ex Scriptis bonis et malis conflatum Arabice et Hispanice manuscriptum extat.* Verum ubi? Succurrit *Georg. Sale* in *Praef.* Versionis Anglicae *Korani*, *Lond.* 1734. 4. ubi narrat: commodatum sibi fuisse ad suas in *Koranum* commentationes a D. *Holme* Rectore *Hedlejensi* in Prov. *Hantonia Evangelium Barnabae* teste Titulo ex Italico in Hispanicum versum ab Apostata *Mustafa de Aranda Aragone*; in ejus *Praefatione* haec legi: Fuisse *Marinum* Monachum quendam cupidissimum videndi *Barnabae Evangelium* eo, quod illud citatum invenisset in quodam Tractatu *Irenaei* ex illo S. *Paulo* contradicentis; *Marinum* hunc familiarem fuisse *Sixto* V. Pontifici, et, cum die quadam inter confabulandum Pontifex in Bibliotheca sua obdormivisset, depromsisse e forulis temere Librum aliquem ad fallendum interea tempus, huncque Librum forte fortuna fuisse praedictum *Evangelium*, unde *Marinum* laetissimum illud manica conditum abstulisse, et ex ejus lectione ad *Mohammedem* conversum esse. Non abstinet *Salius*, quin narrationem hanc impudentissimum commentum (*the most barefaced Forgery*) compellet; et merito. Quis enim hic *Fra Marino*, aut ubi *Irenaeus Paulo* ex *Evangelio* Bar-